




SOLENNIA

AD INAUGURANDAM LITTERARUM UNIVERSITATEM

LUDOVICO - MAXIMILIANEAM

AUSPICE

LUDOVICO

AUGUSTISSIMO BAVARIAE REGE

CELSISSIMOQUE MUSARUM STATORE AC PATRONO

MONACHII REVIVISCENTEM

DIE XV. NOVEMBRIS RITE INSTITUENDA ATQUE FREQUENTANDA

INDICUNT

RECTOR ET SENATUS ACADEMICUS.

DE STUDIIS HUMANITATIS

NONNULLA PRAEMITTIT

D. FRIDERICUS ASTIUS

CONSIL. AUL. ET PHILOLOGIAE P. P. O.

MONACHII

EX OFFICINA D. C. WOLFII.

MDCCCXXVI.

ATTEST

MADE AT THE CITY OF NEW YORK

1880

AUGUSTINO BAYAN

CERTIFICATE OF NATURALIZATION

IN THE CITY OF NEW YORK

IN THE COURT OF THE CLERK OF THE DISTRICT COURT

IN THE CITY OF NEW YORK

IN THE CITY OF NEW YORK

IN THE CITY OF NEW YORK

IN THE CITY OF NEW YORK

IN THE CITY OF NEW YORK

IN THE CITY OF NEW YORK

IN THE CITY OF NEW YORK

IN THE CITY OF NEW YORK

Quemadmodum in omnibus fere, quae ad humanitatem spectant, facem nobis praetulerunt Graeci et Romani, sic etiam in artibus s. doctrinis, quae dicuntur, liberalibus et ingenuis tam denominandis quam definiendis viam nobis aperuerunt. Etenim non solum nomina his doctrinis imposuerunt accommodatissima, verum etiam earum ambitum tam accurate circumscripserunt, ut vis et natura simulque discrimen, quod inter artes liberales et illiberales intercedit, ante oculos sint posita.

Duabus videlicet natura humana continetur partibus, caelesti et immortali una, altera terrena et mortali: ratione s. animo et sensu s. appetitu (in animalibus brutis anima *) et corpore). Jam ut quisque

*) Distinguendae sunt voces *animus* et *anima*, quas etiam optimos latinitatis auctores et magistros, velut WYTTENBACH. ad Plat. Phaedon. p. XI. XII. sq. XIX. XXI. XXIII. al., saepenumero confudisse sane quam miramur. NONIUS iam MARCELLUS de differ. verb. p. 232. ed. Lips. monet, *animam* esse spiritum, quo vivamus. et p. 426. *animus est quo sapimus, anima qua vivimus*. Similiter SERVIUS ad Virg. Aen. X., 587: *animus consilii est, anima vitae*, h. e., *animus est, quod philosophi senioris aetatis vocant, πνεῦμα ψυχικόν, anima vero πνεῦμα ζωϊκόν*. Locus autem

potissimum rationem sequitur omnibusque adhaerescit, quae cum illa coniuncta sunt ab eaque proficiscuntur, ita maxime consequitur hoc, ut rerum terrenarum, fragilium finibusque terminatarum regionem superet legibusque inferioribus et caeca illa, quae rebus terrenis iniuncta est, necessitate sese liberet. Quocirca non is solum dicitur liber *) atque ingenuus, qui ab ingenuis oriundus vel nobili loco natus est, sed in universum, qui animum mentemque excoluit studiisque humanitatis perpolivit; itemque artes vocantur liberales s. ingenuae non propterea solum, quod libero dignae sunt, verum etiam, quod hominis animum ita excolunt, ut libertatem illam, tamquam altiore ac veram

hic, quem nunc tantum attingere possumus, peculiarem desiderat explicationem, in qua praecipue enucleandi erunt LUCRET. III, 95. 118. 135. IV, 884. sq. CICER. Tusc. Disput. I, 9. 10. 11 sq. 18. 33. de nat. Deor. III, 6. 11. ubi v. DAVIS. et SENEC. Epist. 58. p. 169. sq. Bip. Graecum vocabulum ψυχῆ, quod et in *animo* et in *anima* dicitur, in Lexico illustrabimus Platónico, in quo quidem nunc quum maxime elaboramus.

*) In iure civili Romanorum liber, ut constat, dicitur, qui est matre libera. Vid. CICER. de nat. Deor. III, 18. ubi cf. imprimis CREUZERUS, vir eruditissimus, p. 565. adde FORCELLINI Tot. Latin. Lex. T. II. p. 553. Ceterum celebratissima est Stoicorum sententia, nisi sapientem, liberum esse neminem. Vid. CICER. Parad. V, 1. HORAT. Satir. II, 7. 83 sq. Epict. IV. Dissert. c. 1. LIPS. Manuduct. ad philosoph. Stoic. III, 2. Quod igitur in hominem quemque artibus liberalibus perpolitum cadit, id Stoici more suo uni soli sapienti attribuerunt, propterea quod philosophiam, quae principium et caput est doctrinarum liberalium, unam solam iudicaverunt disciplinam. Libertas autem ita definitur ut sit potestas vivendi, ut velis, et voluntas neque arbitrium est neque cupiditas a ratione aversa eique repugnans, sed cum ratione et consilio copulatur eique attribuitur „qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui vivendi via considerata atque provisa est.“ Cic. Parad. V, 1.

vitam, adipiscatur. Et Romani quidem hac quoque in re Graecorum imitatores reperiuntur. Is enim, qui disciplinis illis studet, quae hominis animum ac mentem excolunt moresque conformant, ἐλεύθερος; ipsaeque artes s. disciplinae ἐλευθεραὶ Graecis nominantur. Sic PLATO Gorg. p. 485. C: παρὰ νέῳ μὲν γὰρ μεираκίῳ ὁρῶν φιλοσοφίαν ἄγμαι καὶ πρέπει μοι δοκεῖ, καὶ ἡγοῦμαι ἐλεύθερόν τινα εἶναι τοῦτον τὸν ἄνθρωπον, τὸν δὲ μὴ φιλοσοφοῦντα ἀνελεύθερον καὶ οὐδέποτε οὐδενὸς ἀξιῶσοντα ἑαυτὸν οὔτε καλοῦ οὔτε γενναίου πράγματος. Quem locum sic in latinum convertimus: *in tenero enim adolescentulo philosophiam laudo et decere mihi videtur, et existimo liberalem quendam esse huiusmodi hominem, eum vero, qui non philosophatur, illiberalem, nec fore ut umquam pulchri quid atque ingenui appetat.* Similiter artes s. disciplinae hominem excolentes et ad libertatem, virtutem omnemque honestatem instituentes ἐλευθεραὶ vocantur, et educatio institutioque, quae id spectat, modo simpliciter παιδεία, modo ἐλευθέρα παιδεία dicitur; vox autem παιδεία non solum educationem institutionemque liberalem significat, sed etiam eruditionem in universum (quam in sermone patrio dicimus *Bildung*.) Sic PLATO Protagor. 312. B: τούτων γὰρ σὺ ἐκάστην (int. grammaticam, artem citharae vel lyrae pulsandae et palaestricam) οὐκ ἐπὶ τέχνῃ ἔμαδες, ὡς δημιουργὸς ἐσόμενος, ἀλλ' ἐπὶ παιδείᾳ, ὡς τὸν ιδιώτην καὶ τὸν ἐλεύθερον πρέπει, i. e., *has enim singulas non artis causa didicisti, ut artifex publicus exsisteres, sed eruditionis gratia, ut privatum ac liberum decet.* P. 338. E: ἡγοῦμαι — ἐγὼ ἀνδρὶ παιδείας μέγιστον μέρος εἶναι περὶ ἐπῶν δεινὸν εἶναι: *existimo — eruditionem viri maximam partem contineri carminum peritia.* Gorg. 470. E: ΠΩΛ. Ἀἴλον δὴ, Σώκρατες, ὅτι οὐδὲ τὸν μέγαν βασιλέα γινώσκειν φήσεις εὐδαίμονα ὄντα. ΣΩ. Καὶ ἀληθῆ γε ἐρῶ. οὐ γὰρ οἶδα παιδείας ὅπως ἔχει καὶ δικαιοσύνης: Pol. *Ut patet igitur,*

Socrate, ne magnum quidem regem te scire dices beatum esse. So. Et vera quidem dicam; haud enim scio quo sit animi cultu (s. qua sit eruditione) et qua iustitia. 485. A: φιλοσοφίας μὲν, ὅσον παιδείας χάριν, καλὸν μετέχειν: *philosophiae quidem, quoad eruditioni servit, pulchrum participem esse.* al.

Triplex autem verbo παιδεία subiecta notio est, ex qua propria artium liberalium vis ac natura elucet. Una est notio eius quod generale et universale dicitur, altera eius quod et veteres et recentiores absolutum usurpant, tertia est notio boni et honesti. Graecorum igitur παιδεία

1) omnibus disciplinis et artibus continetur, quae ad hominis cultum et eruditionem spectant, quibus iccirco unusquisque perpolitus esse debet, qui se et esse et haberi volt humanum. Atque hae sunt disciplinae, quas in lingua patria vocamus *die reinen s. allgemeinen Wissenschaften*.

2) omnibus artibus et doctrinis, quarum finis est absolutus, h. e., quae propter se, non commodi alicuius vel utilitatis et quaestus causa, tractantur, et in quibus humanitatis causa, qui finis est bonorum, exercemur. Quas quidem nos vocamus *die freien Künste und Wissenschaften*. *)

3) iis artibus et disciplinis, quae non animum et rationem solum excolunt, sed etiam boni et honesti et pulchri sensum excitant,

*) Varia nomina hae artes apud veteres invenerunt, de quibus vid. WOWER. de polymath. c. III. p. 23 sq. NUNNES. ad vit. Aristot. p. 81 sq. SALMAS. ad Simpl. p. 240. al.

acuunt, alunt; quas nos dicimus *die schönen Künste und Wissenschaften* (Galli *belles lettres*.)

Ac Graeci quidem eius, quod generale et universale dicimus, notionem tam firme conceptam habuerunt, ut neque, si quis in una tantum arte vel disciplina versaretur, reliquis neglectis, neque si quis artem vel disciplinam *sua* tantum *causa* addisceret vel factitaret, eum vere humanum et eruditum existimarent. Quod quidem locis aliquot praecipuis iuvat illustrare. PLATO Legg. I. 643. E: ταύτην τὴν τροφήν (int. τὴν πρὸς ἀρετὴν ἐκ παιδῶν παιδείαν) ἀφορισάμενος ὁ λόγος οὗτος, ὡς ἐμοὶ φαίνεται, νῦν βούλοισ' ἂν μόνην παιδείαν προσαγορεύειν, τὴν δὲ εἰς χρήματα τείνουσαν ἢ τινα πρὸς ἰσχὺν καὶ πρὸς ἄλλην τινα σοφίαν ἄνευ νοῦ καὶ δίκης βάνανυσόν *) τ'

*) Ut disciplinas liberales extollerent, illiberales vero deprimerent, huiusmodi nomina sordida sordidis illis artibus et artificiis imposuisse videntur veteres. Etenim βάνανυσος, ut Etymol. M. p. 170. ed. Sturz. exponit, est κυρίως πᾶς τεχνίτης διὰ πυρὸς ἐργαζόμενος (βαῦνος γὰρ ἢ κάμινος) — καταβέβηκε δὲ ἡ λέξις εἰς πάντα χειροτέχνην (cf. VALKEN. ad Ammon. p. 215). Etymol. Gud. p. 103: βάνανυσοι τέχναι λέγονται καταχρηστικῶς μὲν πᾶσαι αἱ ἄλλοι τέχναι, κυρίως δὲ αἱ διὰ πυρὸς ἐργαζόμεναι. Conf. XENOPH. Oecon. IV, 2—4. ubi haec praeter cetera digna sunt quae notentur: καταλυμαίνονται γὰρ (αἱ βανανυσικαὶ τέχναι) τὰ σώματα τῶν τε ἐργαζομένων καὶ τῶν ἐπιμελομένων, ἀναγκάζουσαι καθῆσθαι καὶ σκιατραφεῖσθαι, ἔνιαι δὲ καὶ πρὸς πῦρ ἡμερεύειν τῶν δὲ σωμάτων θηλυνομένων καὶ αἱ ψυχαὶ πολὺ ἀβρώστοτεραι γίνονται. Adde PLATONIS Polit. III. p. 405. A. VI. 495. D. Platonie. Alcib. I. 131. B. DIO CHRYSOST. Orat. VII. p. 120. C. D. 121. A. GALEN. hort. ad litter. stud. T. I. p. 6. Bas. PERIZON. et ABR. GRONOV. ad Aelian. V. H. VI., 6. SALMAS. de foen. trapez. p. 189 sq. al. Huc etiam pertinet CICER. locus de Offic. I, 42: Opificesque omnes in sordida arte ver-

εἶναι καὶ ἀνελεύθερον καὶ οὐκ ἀξίαν τὸ παράπαν παιδείαν καλεῖσθαι. — ὥς οἱ γε ὀρθῶς πεπαιδευμένοι σχεδὸν ἀγαθοὶ γίγνονται, καὶ δεῖ δὴ τὴν παιδείαν μηδαμοῦ ἀτιμάζειν, ὥς πρῶτον τῶν καλλίστων τοῖς ἀρίστοις ἀνδράσι παραγιγνόμενον, h. e., *hanc educationem separans haec oratio, ut mihi videtur, nunc voluerit solum cultum appellare, eum vero, qui ad pecunias spectat vel ad robur aliquod aliamve quam sapientiam a ratione et iustitia seiunctam, sordidum et illiberalem dicit esse, nec omnino dignum, qui cultus nominetur; — recte excultos fere bonos exsistere, iccircoque cultum (s. eruditionem) nulla modo esse negligendum, quum prima ex rebus praestantissimis viris adiuncta sit optimis.* Id. I. 643. C: κεφάλαιον δὴ παιδείας λέγομεν τὴν ὀρθὴν τροφήν, ἣ τοῦ παίζοντος τὴν ψυχὴν εἰς ἔρωτα ὅτι μάλιστα ἀξίη τούτου, ὃ *) δεῖσει γενόμενον ἄνδρ' αὐτὸν τέλειον εἶναι τῆς τοῦ πράγματος ἀρετῆς, h. e., *summam*

santur; nec enim quicquam ingenuum potest habere officina. Latinis voces frequentantur artes sellulariae, artificia sordida, operae mercenariae, aliae ejusdem generis.

*) Non dubitamus quin scribi oporteat οἱ (quo) pro ὅ (quod), ut οἱ referatur ad γενόμενον et οἱ γενόμενον idem sit quod οἱ ἀφικόμενον (sicut praecedit οἱ ἀφικόμενους αὐτοὺς δεῖ τέλος ἔχειν). Verbum enim γίγνεσθαι saepius est proficisci, venire et pervenire; quippe γίγνεσθαι non solum significat nasci, fieri, exsistere al., verum etiam esse, adesse, et consequens (esse, adesse) ponitur pro antecedente (proficisci, venire). Sic HERODOT. V, 38: αὐτὸς ἐς Λακεδαίμονα τριήρεϊ ἀπόστολος ἐγένετο. THUCYD. IV, 85: ἐπεὶ δὲ ἐγένετο τῷ στρατῷ - ἐπὶ τῇ ἐςβολῇ τῆς Λύγκου. cf. ibi interpp. Similiter PLATO Protag. 314. E. Phaedr. 247. B. Phaedon. 114. A. 118. A. Polit. VII. 532. B. IX. 585. A. aliis sexcentis locis. Adde STEPH. Thes. ed. Lond. P. XI. p. 2927. A.

igitur cultus dicimus in recta educatione esse, quae ludentis animum in amorem quam maxime eius adducat quod assequi eum oporteat, ut vir exsistat in operis sui virtute perfectus. Cf. II. 658. B. C. 659. D. al. Egregius est quoque ARISTOTELIS locus Polit. VIII, 2: βάνανσον δ' ἔργον εἶναι δεῖ τοῦτο νομίζειν καὶ τέχνην ταύτην καὶ μάθησιν, ὅσαι πρὸς τὰς χρήσεις καὶ τὰς πράξεις τὰς τῆς ἀρετῆς ἄχρηστον ἀπεργάζονται τὸ σῶμα τῶν ἐλευθέρων ἢ τὴν ψυχὴν ἢ τὴν διάνοιαν. διὸ τὰς τε τοιαύτας τέχνας, ὅσαι τὸ σῶμα παρασκευάζουσι χεῖρον διακίτθαι, βαναύσους καλοῦμεν, καὶ τὰς μισθαρνικὰς ἐργασίας· ἄσכולον γὰρ ποιοῦσι τὴν διάνοιαν καὶ ταπεινήν, i. e., *sordidum autem opus et artem et disciplinam existimari oportet, quaecumque ad usus actionesque virtutis inutiles reddunt liberorum corpus vel animum vel mentem.* Quocirca huiusmodi artes, quae corpus deteriore afficiunt conditione, mercenariasque operas appellamus sordidas; occupationibus enim distinent mentem redduntque abiectam. Id c. 3: τὸ δὲ ζητιῶν πανταχοῦ τὸ χρήσιμον ἥκιστα ἀρμόττει τοῖς μεγαλοψύχοις καὶ τοῖς ἐλευθέροις: *ubique autem utilitatem quaerere minime convenit animo magno ac libero.* Longum est reliquos, qui huc pertinent, locos enumerare; quocirca satis erit monere, totum librum octavum Politicorum Aristotelis dignissimum esse, qui omni studio pertractetur.

Ex latinis scriptoribus de hoc genere copiosissime disputavit SENeca Epist. 88., quamquam aliquanto pressius Stoicorum persequutus est vestigia. Dicit igitur p. 340: *Quare liberalia studia dicta sint vides, quia homine libero digna sunt. Ceterum unum studium vere liberale est, quod liberum facit, hoc sapientiae sublime, forte, magnanimum; cetera pusilla et puerilia sunt.* P. 345: *Quattuor ait esse Posidonius artium genera. Sunt vulgares et sordidae, sunt ludicrae, sunt pueriles, sunt liberales. Vulgares opificum, quae manu constant et ad*

*instruendam vitam occupatae sunt, in quibus nulla decoris, nulla honesti simulatio est. Ludicrae sunt, quae ad voluptatem oculorum atque aurium tendunt. *) Pueriles sunt et aliquid habentes liberalibus simile hae artes, quas ἐγκύκλιος **) Graeci,*

*) En Stoicus, qui in seria virtutis forma et lege mentem figens liberam et amoenam eius vitam, qualis in pulchro artisque operibus conspicitur, plane ignorat! Graeci contra et aetate et humanitate superiores bonum cum pulchro adeo sociaverunt, ut utrumque una fere complecterentur comprehensione. Hinc illud, quod Atticorum proprium erat, καλὸν καγαθὸν s. καλὸν καὶ ἀγαθὸν (de forma enim καλοκάγαθον recte mihi videtur LOBECKIUS, vir doctissimus, ad Phrynich. p. 603. addubitare). Cf. DORV. ad Charit. p. 23. Amst. Cum iis, quae Seneca tradit de artibus, quas dicit, ludicris, tu, quaeso, lector humanissime, compara, quae ARISTOTELES l. l. de musica et arte pingendi egregie disputavit. Adde F. A. WOLF. in libro, qui inscribitur: Museum der Alterthumswiss. P. I. Fasc. I. p. 67 sq. 80 sq.

**) FUSE de his disputavit WOWER. de polymath. c. 24. (cf. etiam H. VALES. ad Euseb. hist. eccles. VI, 2. p. 224), qui tamen cum aliis in hoc, ni fallimur, erravit, quod veteres posuit *doctrinae orbem* constituisse, *veluti perfectum quendam scientiae cinnum, ex diversis aptum et temperatum*. Quamquam VITRUVIUS quoque et QUINTILIANUS eandem in partem Graecorum ἐγκύκλιον παιδείαν acceperunt. Sic enim apud Vitruvium est (de architect. I, 1. §. 12): *Encyclios disciplina, uti corpus unum, ex his membris est composita*. Praef. ad. libr. VI. §. 4: *quod Atheniensium legem probantes me arte erudiendum curaverunt et ea, quae non potest esse probata sine litteratura encycloque doctrinarum omnium disciplina*. Similiter QUINTILIANUS Instit. orat. I, 10. §. 1: *ut efficiatur orbis ille doctrinae, quam Graeci ἐγκύκλιον παιδείαν vocant*. Etenim ἐγκύκλιον (a v. κύκλος ductum) non solum est orbiculatum, sed etiam id significat, quod in orbem it (in sermone patrio: was in der Reihe herumgeht); iam quod it in orbem, ad omnes per-

nostri liberales vocant. Solae autem liberales sunt, immo, ut dicam verius, liberae, quibus curae virtus est.

His denique artibus s. disciplinis quantam auctoritatem ac vim ad hominem erudiendum atque expoliendum veteres attribuerint, ex eo elucet, quod eximio eas *humanitatis* nomine nuncuparunt. Nimirum enim hae sunt, quae hominem, ut ita dicam, hominem reddunt, h. e., quae animum, mentem moresque nostros ita expoliunt, ut quasi magis homines existamus, et non corpore solum, sed animo simus *erecto*, i. e., ad summa et perfectissima et divinissima quaeque directo. Deus enim homines, ut egregie CICERO exponit (de natur. Deor. II, 56.), *humo excitatos, celsos et erectos constituit, ut deorum cognitionem, caelum intuentes, capere possent. Sunt enim e terra *) ho-*

tinet vel cuique obtingit; iccirco ἐγκύκλιον in eo quoque dicitur, quod omnibus commune est, quod omnibus patet, et in universum quod commune et vulgare est. Sic Graeci dicunt ἐγκύκλιοι λειτουργίαι et ἀρχαί (Liv. I, 17. de imperio: *ac per omnes in orbem ibat. III, 36: ut hoc insigne regium in orbem suam cuiusque vicem per omnes iret; al.*). Exemplorum molem, eamque congestam, non digestam, reperies in STEPHAN. Thesaur. gr. ling. Londin. P. XVII. p. 5457. B. Cf. etiam ALBERTI ad Hesych. T. I. p. 1074. Hinc ἐγκύκλια μαθήματα s. παιδεύματα sunt disciplinae omnibus communes (quae *communes litterae* dicuntur a Cicerone de orat. II, 17.), h. e., disciplinae, in quibus quisque operam studiumque ponit, qui se liberum et eruditum cupit putari, quas nos dicimus *die allgemeinen Bildungswissenschaften*, et ἐγκυκλοπαιδεία (quae vox apud veteres, ut patet, aliam significationem habuit, quam, quod hodie usurpamus, *Encyklopaedie*), ei fere respondet, quod nostris vocatur *der allgemeine s. philosophische Cursus*.

*) Varia tentarunt VV. DD., ut locum male affectum sanarent (v. MOSER. p. 444 sq.), sed nondum mihi videtur persanatus esse. Equidem *e terra*

*mines non ut incolae atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum atque caelestium, quarum spectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet. *)*

Nomen autem humanitatis (ut, unde huc digressa est, referat se oratio) non solum artes s. doctrinas liberales, sed etiam eruditionem

natum esse putaverim e scriptura *terrae* (i. e. *terra* superscripto *e*); quod quum librarii non intelligerent, litt. *e* voci *terra* praeposuerunt, ut existeret scriptura *e terra*; quod deinde abit in *ex terra* et *extra terram*; ita enim in libris nonnullis scriptum reperitur. Equidem igitur auctor sim ut scribatur: *Sunt enim terrae homines non ut incolae atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum atque caelestium*, h. e. sunt enim homines terrae incolae atque habitatores, non ut incolae tantum eius sint atque habitatores, sed cet. Ad v. *terrae* verba *incolae* et *habitatores* e sequentibus petenda sunt, quemadmodum nomina, quae dicuntur, substantiva saepenumero semel ponuntur, ubi his ponenda erant, ita ut alterum vel e praegressis vel e sequentibus peti oporteat. Sic Cic. de offic. III, 2: quantum labore contendere; si discendi labor est potius, quam voluptas. Vid. ibi Hensing. et Gernh.

*) Ubi v. Davis. Cf. eximius PLATONIS locus Tim. 90. A. B. CICER. de leg. I, 9. SALLUST. bell. Catil. I. ubi v. Cort. OVID. Metam. I, 84. LACTANT. div. instit. II, 1. 16. ubi v. Betulej. de opif. dei c. 8. §. 2. Adde SUICER. Thesaur. eccl. T. I. p. 350. ELMENHORST. ad Minuc. Fel. Octav. p. 126. et HERDERI nostri immortalis librum, qui est inscriptus: Ideen z. Philos. d. Gesch. d. Menschh. T. I. p. 219. sq. Etenim Graeci ingeniose ludentes vocem ἀνδρῶνος a verbo ἀνὰ πρὶν vel ἀνω ἀπρὶν, sursum spectare s. suspicere, ducunt, ut PLATO Cratyl. 399. C. cf. Etymol. M. p. 99. ed Sturz. ib. Sylburg. p. 762. Gud. p. 58, 9. Orion. Theb. Etymol. p. 16, 11. WILLET. ad Galen. Protrept. p. 63 sq. Quod quidem scriptores latini, usquequaque pendentes e Graecis, sequuti sunt.

in universum (Graec. παιδείαν, quam nos dicimus *wissenschaftliche Bildung* vel simpliciter *Bildung*) significat. Sic CICER. de orat. I, 9: *oratorem in omni genere sermonis et humanitatis esse perfectum*. 16: *Quod in omni genere sermonis, in omni parte humanitatis dixerim oratorem perfectum esse debere*. Pro Arch. poët. 1: *Artes quae ad humanitatem pertinent*. al. Hinc *inops humanitatis* (de Orat. II, 10.) est idem qui II, 1. dicitur *eruditionis expertus atque ignarus*. Sed de hoc genere toto copiose exposuit J. A. ERNESTI in *Prolus. de finibus humaniorum studiorum regundis*, a. 1738. edit. et Clav. Ciceron. h. v. Addere iuvat A. GELL. Noct. Attic. XIII, 15: *Qui verba latina fecerunt quique iis probe usi sunt, humanitatem non id solum esse voluerunt, quod volgus existimat quodque a Graecis φιλανθρωπία dicitur et significat dexteritatem quandam benevolentiamque erga omnes homines promiscuam, sed humanitatem appellaverunt id propemodum, quod Graeci παιδείαν vocant, nos eruditionem institutionemque in bonas artes dicimus, quas qui sinceriter cupiunt appetuntque, ii sunt vel maxime humanissimi; huius enim scientiae cura et disciplina ex universis animantibus uni homini data est, iccircoque humanitas appellata est*. Cf. NONIUS MARC. p. 52. Lips.

Ex his, quae tenuiter disputavimus, iam intelligetis, Cives academici ornatissimi (nam ad Vos, commilitones, maximam partem haec spectat scriptio), quam veteres humanissimi, quorum scriptores iccirco classicos vocamus, veram iudicaverint eruditionem: non eam scilicet, quae privati commodi et quaestus causa uni tantum disciplinae vel arti quasi addicta et consecrata esset, non eam, quae animi partes natura


copulatas arte divelleret, non eam, quae mentem quidem scientiis compleret, animum vero ac mores feros, barbaros et ab omni boni, honesti et pulchri sensu alienos esse sineret, sed hanc, quae hominem, quoad eius fieri posset, absolutum ac perfectum efficeret. Etenim, pro dolor! perversissima percrebruit opinio, humanitatis studium nihil esse nisi prolusionem quandam atque praeparationem ad specialia, quae dicunt, studia, et haec, quippe quae recta eo ducant, ut habeas unde vivas, vere academica esse studia; quae quidem opinio quanto opere tam veterum sententiae, quam ipsi rerum naturae repugnet, ex iis, quae supra posuimus, facile est ad intelligendum.

Studium videlicet litterarum communium (philosophiae, mathematicae, physicae latiore sensu, historiae, philologiae et artium disciplinae) tam liberum est, tam ingenuum, tam ex semet ipso aptum, ut alii nulli vel disciplinae vel arti servitutem ullam serviat, sed potius communis fons sit, e quo reliquae disciplinae et artes id ipsum hauriunt, quod veras eas reddit disciplinas et artes: elatum illum animum generosumque spiritum, qui, despiciens res ac pro nihilo habens, quas homines sectantur pusilli, omnes suas cogitationes in ea, quae vera, recta, bona et honesta sunt, confert cogitataque ea, qua par est, studet dignitate vel eloqui vel perficere. Hic igitur spiritus germanum est principium vivae et doctrinae et artis, quo extincto, quicquid addiscimus aut docemus, neque doctrina neque ars est, sed exercitatio quaedam ac peritia rationis et humanitatis experts, quam PLATO vocat *ἄλογον τριβὴν* et *ἐμπειρίαν*.


Hic ergo, Cives, studiorum Vestrorum finis esto, quem utassequimini quo contentius elaborabitis, eo magis sapientissima *REGIS NOSTRI GENEROSISSIMI*, in quo ipso splendidissimum humanitatis exemplum conspicitis, consilia ad optatum adducetis exitum, omnium bonorum desideriiis

ac votis satisfacietis, vosque ipsos dignos honore praestabitis, quo *REX AUGUSTISSIMUS* Vos affecit, quippe qui in sedem Vos *SUAM* transtulerit propeque a Celsissimis *SUIS* aedibus collocaverit. Atque haec ut obtingat felicitas civitati nostrae litterariae, summa *LUDOVICI SAPIENTISSIMI* et *CLEMENTISSIMI* munificentia ita instauratae, instructae et dotatae, ut novum quasi vitae cursum ingrediatur et in dies maiorem consequutura sit famae celebritatem, Deum O. M. quam possumus impensissime precamur.

P. P. in universitate litterarum Monacensi, die XIII. Novembris, anno a Chr. n. MDCCCXXVI.



BVI 4



BVI 4